UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Methodus S. Ignatii De Loyola Ducens Animam ad Perfectionem per Exercitia Spiritualia

Vatier, Antoine

Dilingæ, 1689

XV. Annotatio. Considerandos priùs esse tres Modos Humilitatis, quàm meditatio de tribus Classibus fiat.

urn:nbn:de:hbz:466:1-60263

Visual Library

ſint obnoxiæ, quanto illa, quam præſcripſimus, earundem virtutum repetita meditatio.

Sed nempe rationem oportet intueri; quæ S. Ignatio tam frequentes earundem rerum Meditationes perſuaſit; quæ eſt, quòd frequenter opus ſit intueri, ſi quidem accuratè mens eſt cognoſcere id, quod uno intuitu difficile eſt penetrare. Cùm ergo admirandæ hæ Redemptoris noſtri virtutes ſanè quàm arduæ ſint, atque excellentes, utique ut frequentatis conſiderationibus inſpiciantur, dignæ ſunt. Præterquam quòd bonarum mentium non infrequenti experimento conſtet, eos, qui virtutis vel modicè ſtudioſi ſunt, non longis in oratione diſcurſibus ingerere, ſed tempus omne longè ſaluberrimè in illas animi affectiones inſumere.

Quòd ſi frequens eorundem affectuum iteratio ingrata cuipiam videtur, non prohibetur eos cum aliis permutare, vel certum aliquod verſiculum adjungere, proprium peculiari ratione illi materiæ, quam meditatur, oculos ſemper in Redemptorem noſtrum reflectendo, hoc vel illo Obedientiæ, Humilitatis, Paupertatis aut tolerantiæ actu occupatum.

XV. ANNOTATIO.

Conſiderandos priùs eſſe tres Modos Humilitatis, quàm meditatio de tribus Claſſibus fiat.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pro ſexta die : ante meditationem de tribus
modis Humilitatis.

Verum eſt, quòd S. Ignatius meditationem
de tribus modis humilitatis illi poſtpoſuerit,
quam de tribus claſſibus ſcripſit, non tamen id-
circo rectè arguitur, ipſum etiam voluiſſe,
priùs meditatio de tribus claſſibus fiat, q
triplex modus humilitatis expendatur; ni
hanc ipſam rationem concedere velimus,
Ignatium voluiſſe, ut conſideratio de tribus
militatis modis in fine primùm ſecundæ H
domadis poſt omnia vitæ Chriſti myſteria
ſi quidem illam duodecim dierum medita
nibus, quibus ſecundam Hebdomadam a
vit, ſubjunxit. Eſſet autem alienum ab c
ratione, tamdiu ignorare veræ humilitatis
dolem, cujus exactam habere notitiam
noſtrâ intereſt, ut intelligamus, quæ fuer
vatoris noſtri humilitas, dum profundiſſ
illos, quibus hanc virtutem nobilitavit,
animo volvimus. Quin & ipſiſmet S. Ig
verbis & propoſito repugnaret, ut jam oſt
mus.

Tertiâ inprimis annotatione, quam tri
humilitatis modo præmiſit, conceptis verb
ſerit, quòd, antequam electionum materia
grediamur, ut ad capeſſendam germa
Chr

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Chriſti doctrinam affectum noſtrum diſponamus, apprimè juvet conſiderare, ac per diem totum revolvere identidem tres modos humilitatis. Et annotatione ſecunda paulò antè ait, inchoandam eſſe electionum diſcuſſionem poſt primam meditationem, quæ fit quinta die. Neceſſarium itaque eſt, ut integra antè die conſideratio de tridus modis humilitatis peracta ſit, quæ alia eſſe non poteſt, quàm dies quarta, qua juſſit quater obire meditationem de duobus vexillis; hac lege, ut animus ſingulis horis illius diei (exceptis iis, quæ meditationibus debentur) ſedulò occupetur expendendis tribus humilitatis modis; voluit proinde, ut tres humilitatis modos ſedulâ cogitatione examinemus, antequam meditationem de tribus claſſibus obeamus, quæ ad finem quartæ primùm diei fieri ſolet.

Deinde conſtitutum erat S. Ignatio, maximam nobis humilitatis æſtimationem conciliare, atque idcirco meditationem de duobus vexillis elegit, conſequendo huic fini ſummoperè idoneam; hæc enim humilitatem, velut unicum ſcopum proponit, ad quem oculos, animúmq; continuo obtutu obvertere debet, quisquis ſub vexillo Chriſti ſtipendia mereri cogitat. Ut autem ad genuinam humilitatem, &

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

hac promovente ad omnis boni apicem cloſo-ris, neceſſe omnino eſt, ut ambabus, quod ajunt, ulnis paupertatem, rerúmque humanarum contemptum amplectaris. Quod ut profundiùs in animum deſcenderet, præſcripſit S. Ignatius, ut meditatio de duobus vexillis, unâ eâdemque die quater peragetur, ſatìs gnarus, hâc veluti clavo conceptam ex tam frequenti repetitione, humilitatis æſtimationem ita animo infigi, ut, quæ deinceps hac magiſtrâ concipimus propoſita, facili negotio non diſſipentur. Ex quibus patet, quantopere neceſſarium ſit ex mente S. Ignatij, tres humilitatis modos animo recolere, ut nimirum agnoſcamus diſcrimen veram inter & fucatam humilitatem; diſcamúsque illam proſequi, quæ tantopere nobis commendatur. Et quandoquidem quartæ diei ſecundæ ſeptimanæ affixit meditationem de duobus vexillis, pronum eſt conjicere, ipſum etiam deſiderâſſe, ut eâ ipsâ die meditatio quoque de tribus humilitatis modis obiretur. Non enim aliàs voluiſſet, ut intra ejuſdem diei decurſum frequenter admodum hos ipſos tres humilitatis modos memoriâ repeteremus, & ad occaſum diei denique meditationem de tribus claſſibus faceremus; quod ipſum argumento nobis eſt, S. Ignatium præclarè intellexiſſe, con-

ſtat

ſiderationem de tribus modis humilitatis præmitti , atque tum demum meditationem de tribus claſſibus fieri debere.

XVI. ANNOTATIO.

De Humilitate.

Pro ſexta die poſt meditationem de tribus modis Humilitatis.

Triplex hîc occurrit quæſtio ad humilitatis conſiderationem pertinens. Prima eſt, qualis Salvatoris, & ſanctiſſimæ ejus Matris humilitas fuerit. Altera, in quo noſtra humilitas imitari poſſit humilitatem Filij DEI. Tertia, num in eo ſenſu hîc de humilitate loquamur , quo eam in ſecundo puncto meditationis vitæ Chriſti accepimus, & quo illam accipiemus in ſecunda meditatione de Redemptoris noſtri Paſſione, quando conſiderabimus JESU morientis humilitatem. Ad ſingula breviter reſpondeo.

Humilitas ergo Salvatoris & beatiſſimæ Matris ejus alia non fuit, quàm illa ſit, quæ ex tertio puncto meditationis de tribus modis humilitatis apparebit. Erat nempe ſerius quidam & ſincerus amor , quo ſe annihilari quodammodo volebant , quòd id naturæ ſuæ nihilum mereri intelligerent: (de filio cùm loquor, naturam ejus humanam intellige) & hic ſcilicet